



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 225. Quantùm restitui debeat ratione infamationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

hæc deponantur, ita *Mol.* aliique cum *Dicast.* de Restit. d. 2. dub. 6. Ratio est quia sic reparatur totum damnum, & reducitur æqualitas, quæ erat sublata, puratque *Dicast.* n. 121. satis temerè dici, quòd alia satisfactio requiratur.

1240 Q. 225: *Quantum restitui debeat ratione infamationis.* R. §. 1. Ex infamatione graviter injuriosa nascitur obligatio compensandi totum damnum etiam in aliis bonis inde secutum, ita *Less.* l. 2. c. 11. n. 101. *Lugo* d. 15. à n. 21. aliique cum *Dicast.* n. 273. & sequitur ex dictis de restitutione; tenetque, etiamsi crimen revelatum fuerit verum, si fuerit occultum, uti communiùs docent AA contra *Sot.* & recentiores aliquos, qui putant in hoc casu teneri tantum ad partem, eò quòd damnum principaliter sequatur ex crimine ipso verè commisso, quam sententiam *Less.* n. 103. dicit non esse improbabilem, sed opposita tenenda est, quia crimen occultum, erat, ac si non esset factum, ergo totum damnum secutum est ex injusta revelatione, ergo ex hac est obligatio reparandi.

1241 §. 2. Non est obligatio restituendi aliquid præcisè pro infamia temporis præteriti, ita *Mol.* *Lugo* n. 17. *Dicast.* n. 187. contra *Rebell.*, Ratio est, quia pars famæ præteritæ non potest physicè reparari in proprio genere, cum fieri non possit, ut tunc fuerit, quando non fuit, restituta autem in præsentì censetur, & moraliter restituta est pro præterito, & agnito errore quasi retrahitur, auditores enim agnoscunt se antea falsò opinatos esse, unde nihil ampliùs damni manet; hinc nec videtur esse debita ulla pro eo satisfactio, uti putavit *Less.* n. 99., totum enim jam sublatum est, si pro præsentì restituatur fama.

Q. 226.